IN NOMINE DOMINI, AMEN.

I

DISSERTATIO
DE CONSTITUTIONIBUS ECCLESIASTICIS.
EX
Libro I. Instit. Juris Canonici Tit. III.
DESUMPTA.

jam verò

ad demonstrandum specimen profectûs

SACRÆ JURISPRUDENTIÆ AUDITORUM.

per

M. FRANCISCUM ANTONIUM
CWIERZOWICZ,
Juris Canonici: *nuper Institutionum*; *actualem* Doctorianum
Professorem, Collegam Juridicum, Collegiatæ
Ecclesiæ SS. OO. Crac. Canonicum.

Respondente ad objectiones

V. D. MATHIA DROZDOWSKI,
Min. OO. Clerico, Archidioec. Gnesnen. Lectionis dictæ Auditore.

Publicæ Disputationi

In Lectorio Collegii CC. DD. Jure Consultorum
Cracoviensis Scientiarum Universitatis

EXPOSITA

In Anno GratIæ & sanCtIonVM SeDIs ApostoLICæ PetrI.*

1771. * can. Sic omnes. Dist. 19.

Die 18. *Mensis Martii.*

Cracoviæ, Typis Seminarii Episcopalis Academico-Dioecesani.

IN STEMMA REVERENDISSIMI DOMINI.



Crux pellit omne crimen. *S. Damasus Papa.* Fugiunt Crucem tenebræ.
Tali dicata Signô Mens; fluctuare nescit. *Prudentius.*
Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis. *Baruch. cap. 3. ℣. 34.*
Sicut luna perfecta in æternum: & testis in coelo fidelis. *Psalm 88. ℣. 38.*
- - - Præstanti lumine Lunam. *Homerus.*

Honoratorum Virorum laudes in concione memorantor, easqué etiam cantû ad tibicinem prosequuntor. Cic. lib. 2. de Leg. §. 24 *post Leg. XII. Tab.* Munus sustinenti honor deferri potest. *L.* Honorem. *ff. De Muner. & Hon.* Litteras fovent; qui digna litteris gerunt. Famian. Strad. Rom. *de bell. Belg. Decad. 1. lib. 3.*

Ad
PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM
DOMINUM
D. JOSEPHUM OLECHOWSKI,

Utriusqué Juris DOCTOREM, Cathedralem Cracoviensem CANONICUM, Sandomiriensem SCHOLASTICUM Coadjutorem, &c. per Diœc. Crac. LOCUM TENENTEM
&
JUDICEM GENERALEM,
Dominum Amplissimum
DEDICATORIA.

Nunquam consultiùs uberiùsvé nunquam fortunæ meæ potui providere, qùam dum literarium Juridicæ disputationis pro instituto Majorum initurus certamen, illud sub amplissimis mihiqué secundissimis auspiciis Tuis PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE *aggredior.*

Quanquam enim blandiri mihi nullatenus possim, quòd in præstantissima ne minùs ac amplissima hac disciplina vel mediocrem doctrinam sim adsecutus, amatorem tamen illius ac sectatorem me profiteor, eaqué animi mei sensa gravissimorum atqué sapientissimorum Virorum judicio innixa, quæ in adsumpta ad pertractandum materia juris publici facio, qualecunqué demum pondus ex sese habeant, majus profectò acquisitura reor, dum illa in sacrarium Judiciariæ Tuæ potestatis benignissimè admittes.

An non meritò hoc in doctis præsertim Viris desiderari atqué etiam præsumptione forti quærere licet, ut quum acri ingeniô plurimùm possint ac valeant, doctas lucubratiunculas patente manu complectantur, atqué pronam ac flexam ad benevolentiam voluntatem de facilè offerentibus exhibeant.

Ingratus quoqué, ne dicam inconsultus æqui & justi viderer, quin pro suavi illicio quale omnes vel à natura ipsa habeamus oportet; nisi pro incredibili illa humanite, & benignitate, quâ Matrem bonarum Artium altricem meam Almam Academiam Cracoviensem, quâ Collegium suum J.Ctorum omni loco & tempore prosecutus es, & hodiedum prosequeris, tenui quantumvis scriptionis argumentô publicè testatum facerem.

Talibus propemodùm rationum momentîs mecum diligenter expensis, eò jam deveni audaciæ ut Te vices Principis, Pastoris Optimi, Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. CAJETANI SOŁTYK, DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Aquilæ Albæ Equitis, Apostolico-Regii

Visitatoris; Cancellarii Universitatis *longè Faventissimi, gerentem quoqué, & in quintum jam annum onus isthoc insuperabile sustentantem, inter occupationes graves ac pèrmagnas, concatenatis Causarum & negotiorum difficultatibus implicitum & obrutum, ab illis quodammodò avocare & meo hoc ausu ad benignè contuendam, animiqué relaxandi causâ evolvendam Dissertatiunculam istam invitare reverenter constituerim.* * *Neq; verò id à me temerè aut inconsultò actum putes* Vir Eruditissime, *publicè siquidem declarare volui; quàm sanctè, quàm religiosè in Te officia mea servem, tum ut eximia & solida virtus & eruditio Tua, favor demum in liberalium Studiorum* Professores *literarum monumentis consignata; posterorum memoriæ transmittantur. Nôrunt satìs docti Viri, conclamat id ipsum ampla & protensa finibûs suis Diæcesis, Te à primis adolescentiæ annis magno scientiarum amore flagrâsse, mutorum (ùt ajunt) Magistrorum commercio vacâsse, in exoticorum idiomatum peritia, tum: Philosophicis, Historicis, Theologicis disciplinis memoriam atqué ingenium Tuum illud pulchrè & apprimè expolivisse. Juris tamen præsertim studia pro scopo habebas, illos Legum promebas sensus, quos Themide Musaq; faventibûs an dictantibûs; voce sive scripto proferre ab omnibus censebaris. Atq; his meritissimis de causis Doctorale diadema inter Primores Studiorum consortes apud Jagelloneam Scientiarum Universitatem unà cum Lectissimis alti sanguinis & meritorum Viris erudita Tua tempora prout ambivit; cinxit.*

* Nemo eodem tempore assequi potest magnam famam & magnam quietem. Fab. Quinctil. apud Corn. Tacit. *sub finem Dial. de Oratorib.*

Doctor *Jure in utroq; renuntiatus menſurum nominis imples, facis ſimul & doces, qui* Vitam & honeſtatem Clericorum *accuratiùs;*Canonicè *verò depingat, in Te velut in imaginem & amuſſim reſpiciat neceſſe, neutiquam enim* Gregorii, Innocentii & Honorii, *qui ibi Cleri mores formant, eos usq; ſic præſcribere ſibi ullo modo tentârunt. Eam inquam ſacræ comprimis ſubinde etiam profanæ litteraturæ perfectionem, prudentiæ cautelam, modeſtiæ decentiam, vitæ accuratiſſimam integritatem, erga omnes ſuaviſſimam humanitatem cum gravitate probè conjunctam, ante hæc, ferventem erga DEUM utilem ad omnia pietatem, quas in Te Clerus ſuſpicit & univerſa Diœceſis colit, ſimul demirando veneratur.*

Vita Tua non modoprimùm Hierarchis in Eccleſia *libuit & lubet hodiedum ad honeſtatem, tanto cum guſtu: ut Te altè memoratus* Celſiſſimus Princeps *ad ſuam* Curiam *jam* Regentem *Cancellariæ, expòſt* Notarium *eſſe voluerit,* Canonicatu Cathedrali *ornatũ,* Judicem *ſibi ſurrogârit, necnon antè hac per aliquot luſtra foverit, æquô ſanè & laudatiſſimo prorſus judicio. Quid nam enim verò tam neceſſarium compellabo; quàm rebus magnis magnos: & earum non ignoros atq; etiam experiundi idoneos admovere Viros.*

Felicem ex hoc ſtatim à primordiis fere regiminis Paſtoralis ſæpefatum Principem! *Te tali ad Latus ſuum adſcitô Miniſtro, Qui, præter abſolutam muniîs omnibus prudentiam intaminatamvé erga ſuam* Celſitudinem *fidẽ, probitatem vitæ, conſummatæ doctrinæ talenta tantò magis jungis & adauges, tum modeſtiam, in ſublimi hac evectus fortuna.*

In tam *arduis negotiis haud tamen dimittis quandoquê litterarias curas, longè à Te propulsas abjectarum mentium otium illud solutum et languidum, ast hoc sectaris, istud suaptè perquiris, quod libri necnon lucubrationes Scholasticæ alant et vegetent, istud solicitè præcaves, enixè illud tenes. o! Te re magis quàm distinctoriis hujusmodi splendentem honoris Insigniis* Cathedr: Canonicũ.

Damnâsti *ipso facto et exemplo Tui eorum omnium incuriam, qui nequé fontes veritatis in scientiis vestigant, nec temporum historiam scire cupiunt, nequé de auctoritate librorum; quâ ceû basibus firmis & columnis nitantur: laborant, ast omnia quæ cunqué sint, etiamsi trita & obvia: pro oraculo habent, ac si ea, ut quondam Dux populi Israelitici duabus tabulis* DEI Digitô *exarata, è coelo perceperint.*

Et ecce *jam desinunt se explicare allatæ causæ plures manifestæ, eccur, mea tantoperè intersit? hanc de Constitutionibus Ecclesiasticis ex Jure Canonico petitam, à me conscriptam Dissertationem, Tuæ,* Ordinariæ Locum Tenenti Dignitati *justissimæ item singulariter huic* & Tui Prælationi, *sistere protegendam.*

Suscipe *ea quæ soles humanitate incredibili, præsens, tametsi exiguum obstricti animi ac observantiæ Clientalis erga Te testimonium. Nequê enim ob favores quibûs nostrates Academicos exornas, gratiam Tibi rependere; acceptior modulus suppetit, præterquàm aliquod laboris Scholastici opus demissô animo ut præstò habes; consecrare. Interim: precibûs à* D. T. O. M. *implorare meum erit, ut sicut Te primam lucem adspexisse sub* Patrocinio *Castissimi imò Virginei Sponsi* JOSEPH *vitamq; exordiri, dies ultra protrahere destinavit, in longos annorum et natalis Tui quàm multò plures reditus sospitem atqué superstitem, ad cômunem semper beatamqué boni publici felicitatem,* Ecclesiæ ac Patriæ *utilitatem, ad Reipublicæ literariæ splendorem, necnon Tuorum Clientûm dulce decus et præsidium servet.* Ita precor

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ,

devotus & observantissimus servus
Author opellæ.

Apostolicæ Sedis sanctiones, accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini Petri voce firmatæ sint. *can.* Sic omnes. *Dist.* 19. = & *c.* Inter corporalia. *De Translat. Episc.* = *junct. gl. v.* Divina.

Nulli Sacerdotum liceat sacros Canones ignorare. *can.* Nulli *Dist.* 38.

Qui transgreditur Canones credens Romanam Ecclesiam non habere potestatem condendi Canones: ùt hæreticus reputatur. *can.* Nulli fas. *Dist.* 19. & *can.* Violatores. 25. *q.* 1.

Sequor tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors, nec gladius, poterit separare. *S. Ambrosius Epist.* 32.

Sciant universi: sacratissimos Canones, exactè, ab omnibus, & quò ad fieri poterit, indistinctè observandos. *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 18. *de Reform.*

Injuriam facit judicio Reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere, ac publicè disputare contenderit. *L.* Nemo. *C. De Summa Trinit.*

In ditione Principum Christianorum, nulla alia est ratio status, nisì: quæ cum Lege DEI, Ecclesiæ & illius præceptis consona est, quæ, vera ratio statûs dicitur. *Cataneus resol.* 1. *n.* 8.

DI-